

Habemus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicatione simillima est: quae casura, nisi invicem obstant, hoc ipso sustinetur. Post deos hominesque dispiciamus, quomodo rebus sit utendum. In supervacuum praecepta jactabimus, nisi illud praecesserit, qualem de quaque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patriâ, de exilio. Aestimemus singula, fama remota: et quaeramus quid sint, non quid vocentur. Ad virtutes transeamus, praecipiet aliquis, ut prudentiam magni aestimemus, ut fortitudinem complectamur, temperantiam amemus, justitiam, si fieri potest, proprius etiam, quam ceteras, nobis applicemus. Sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit virtus: una sit, an plures; separatae annexae; an qui unam habet, et ceteras habeat; quomodo inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quaerere, quod ejus initium, quis usus sit: non magis quam pantomimo, de arte saltandi. Omnes istae artes se sciunt: nihil deest. Non enim ad totam pertinent vitam: virtus et aliorum scientia est, et sui; discendum de ipsa est, ut ipsa voluntas discatur: actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas, ab hac enim est actio. Rursus, voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitum porro animi non erit in optimo, nisi totius vitae leges percepitur, et quid de quoque judicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumque judicium adeptis: ceteri decidunt subinde et reponuntur, et inter omissa appetitaque alternis fluctuantur.